

tum, sanum, et integrum, non vitiatum, non cancellatum, sed prorsus omni vitio, et suspicione carentem cuius quidem transcripti tenor sequitur sub his verbis : Nos, Petrus de Croseto doctor decretorum, canonicus et officialis Lugduni, notum facimus universis præsentes literas inspecturis, quod nos vidimus quasdam literas sigillatas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, sed omni suspicione carentes ut prima apparebat. Quarum literarum tenor sequitur, et est talis : Nos, Amedeus de Rossillione, electus Savigniacensis et confirmatus, et totus conventus ipsius loci notum facimus universis præsentes literas inspecturis quod nos considerata utilitate nostra et Monasterii nostri Savigniacensis, volentes cedere, concedere franchises et perpetuae libertati castrum nostrum de Chaysseu et Burgenses ipsius loci cum pertinentiis, quantum ad nostrum spectat dominium, et homines nostros ibi morantes, et moraturos de coetero, et habitantes et habitaturos domum, seu domos ibidem et in parochiis sancti Martini de Chaysseu, sancti Bartholomei, et sancti Joannis de Castellione, sanctæ Valburgis de Amanceu, de Broillio, de sancto Germano, de Bulleu, de Sayssay, de duobus Rivils, Sancti-Martini de Coleymieu, de Bellomonte, de Charnay, de Marceu supra Ansam, de Alys, de Bagnieul, Sancti Petri de Mayceu, si tamen domos habeant, habentes infra terminos qui sequuntur : Videlicet, quod dicta villa de Chaysseu usque ad Perrosset, et ab illo loco de Perrosset usque ad nemus de Rupe, et ab eodem nemore descendendo usque ad molendina Stephani et Guillermi de Rupe, et ab eisdem molendinis prout tendit via publica usque ad rivum sine aquâ de qua molitur molendinum domini Stephani de Varennes militis, et ab eadem aquâ usque ad dictum locum de Perrosset, cum omnibus terris et tenementis in dictis locis, et infra dictos terminos constitutis, pertinentibus ad homines nostros morantes, et moraturos infra terminos supradictos Nos habito super his in Capitulo nostro diligenti tractatu, et deliberatione provida præhabita, considerantes, ut dictum est, in his evidenter utilitatem nostram, et successorum nostrorum, necnon dicti Monasterii nostri, et dictri castri nostri de Chaysseu, et villarum, et locorum prædictorum, necnon hominum nostrorum ibidem nunc et de coetero commorantium cum omnibus rebus suis existentibus in locis prædictis, et infra terminos antedictos de nostro dominio existentibus, et quas ibidem de coetero acquirent in nostro dominio donamus, concedimus, et tradimus unanimitate in perpetuum et concordi voluntate, franchises et perpetuae libertati sub conventionibus quæ